X X.º 10.º

REAL SENTENCIA DADA CON LETRAS

CAVSA VIDENDI, PUBLICADA en 7. de Enero 1599. sobre el vinculo instituido por Doña Iuana Geronima Benita Sllava, Sagra, y Carròz, Señora del Lugar de Carcer, á favor de Ines Cruillas, y Cucalò, hija de Maria Geronima, contra Melchor Cruillas Sllava, nieto de dicha Maria Geronima, y hija de Miguel Geronimo Cruillas, hijo mayor de dicha Maria Geronima, el qual premuriò antes del vltimo posseedor del vinculo, que era Abuelo de mi parte.

Xps. ATTENTO, quòd ex serie, & tenore testamentis Domnæ Ioannæ Hieronymæ Benedictæ de Sllava, in Civitate Valentiæ confecti, & recepti per Gasparem Gil quondam Notarium publicum, die decima octava mensis Aprilis anni millesimi quingentesimi trigesimi septimi, & publicati die vigesimo sexto eorundem mensis, & anni, constat eã de omnibus suis bonis, & vniversali hæreditate disposuisse, instituendo primo loco, Nobilem Don Ioannem Carròz filium suum legitimum, & naturalem, cum onere assumendi nomen, & arma de Sllava, & ordinando, quòd si ille decederet cum filijs legitimis, & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis, & procreatis, posset ex eis eligere quem maluisset, & eum hæredem in dictis bonis instituere; si verò, sine filijs, quandocunque decederet, voluit, dicta bona, sine aliqua diminutione, ad Exemineum Perez Sagra nepotem suum, ex filia Hieronyma, pervenire, cum eodem tamen onere, ei, & cuilibet alij successori in dicta hæreditate imposito, assumendi nomen, & arma de Sllava, quòd si dictus Exemineus haberet filios legitimos, & naturales, & de legitimo matrimonio natos, & procreatos: posset in illos de dictis bonis disponere, liberè, & ad pro-

priam

priam voluntatem; si verò sine filijs, quandocumque decederet, aliũ filiũ maiorẽ nepotem suum, ex Domna Hieronyma filia sua substituit, cum supradictis pactis, vinculis, & conditionibus: & quòd sic sequatur de vno in alium, in dictos filios Domnæ Hieronymæ, præferendo semper maiorem illorum, ordine primogenituræ. Si autem omnes supradicti nepotes sui, ac filij dictæ Hieronymæ, sine filijs legitimis, & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis, & procreatis quandocumque, morerentur, omnia dicta bona, ad filios Domnæ Ioannæ Carròz filiæ suæ, & Don Ludovici de Vilanova, reverti voluit, scilicet ad primogenitum, seu maiorẽ natu ex illis, cum vinculis, & conditionibus appositis in filijs Hieronymæ, scilicet accipiẽdi nomẽ, & arma de Sllava, & disponendi de dictis bonis in suos filios, casu quo eos haberet, liberè, & ad propriã voluntatem, & si talis primogenitus, absque dictis filijs, aliquando descederet, omnia dicta bona, absque aliqua diminutione, ad alium filium maiorem, cum eisdem vinculis, deferri iussit, & sic de vno in alium, maiorẽ semper præferendo ordine primogenituræ servato; & quòd vltimus ex dictis filijs Ioannæ, posset de dictis bonis liberè disponere, sive filios habeat, sive non habeat; dicendum est, Mariam Hieronymam testatricis neptem, ex filia Hieronyma, non minus, quam reliquos filios masculos dictæ Hieronymæ, ad prædictam successionem, suo casu, invitatã fuisse; nam cum Exemineus Perez Sagra, primogenitus inter eos fuerit, atque ei primo loco vocato, si sine filijs descederet, alter filius maior substitutus fuerit, & adiectum, quòd sic sequatur de vno in alium, in dictos filios Hieronymæ, consequens est, in dictis verbis, ipsam Mariam Hieronymam pariter comprehensam fuisse, cum filiorum nomen, etiam ex propria significatione, filios quoque complectatur, in ea præsertim dispositione, quæ à fœmina concepta sit. Neque obstat, quòd testatrix in clausula legati viginti mille solidorum, de nepotibus, & neptibus loquuta fuit, vt ita filiorum nomen, ad masculos tantum referri debeat, quia quamvis in verbis nepotis, & neptis, distinctionem induxerit, tamen verbo filius promiscuè, & sine distinctione aliqua, vsa fuit; minus etiam obstat, quòd testatrix Ioannem filium primo loco vocaverit

caverit, & secundò Exemineum Sagra nepotem, vt ex his primis masculorum vocationibus, sequentes omnes substitutiones intelligendo, & informando, non de fœminis, sed de masculis, tantum interpretandæ sint, quia id, quòd in cœteris personis, vel gradibus constitutum est, eorum respectu, & favore, ad alios quoque perducere ad fœminarum descendẽtium exclusionem, nulla iuris ratio pati debet: quo fit, vt, tàm dicta Maria Hieronyma, si supervixisset, quã eius etiã filiæ fœminæ, deficere fecerint conditionem, sub qua filij Domnæ Ioannæ Carròz fuerant vocati. Et attentò etiam, quòd dicta testatrix quamvis primogenitum tantum induxerit; respectu nepotum suorum ex filia Hieronyma, & in eorum defectum, respectu nepotum ex filia Domna Ioanna, ita quòd has dumtaxat personas, ordine primogenituræ admitti voluerit de vno in alium, tamen in reliquis omnibus successoribus, quamvis primogenium non instituerit, vnum dumtaxat succedere voluit, qui nomen, & arma de Sllava deferat, quòd ex substitutione Ioanni facta, claræ conspicitur; cui libera facultas data fuit eligendi ad hanc successionem vnum ex filijs suis, & quamvis in substitutione facta filijs Hieronymæ, & filijs Ioannæ, libera facultas illis concessa fuit, disponendi de dictis bonis, in suos filios liberè, & ad propriam voluntatem, hæc tamen verba, ita exaudienda sunt, vt libera voluntas versetur quidem, nõ in disponendo de dictis bonis in plures, sed in vnum eorum patris, libera voluntate eligendum; quòd apertè colligitur ex eademmet testatricis glosa, quæ, postquã facultatem concessit Ioanni filio eligendi vnum ex filijs suis, adiecit, ita, quòd in illos possit liberè, & ad propriam voluntatem disponere, quæ si intelligãtur liberé disponere id tantum importare, vt liberam habeat facultatem, vnum ex filijs, quem maluerit eligere; non verò plures simul admittere, nam, si alio modo dicta verba intelligerentur, testatricem incontinenti se correxisse, & contraria prorsus disposuisse, dicendũ erit. Deindè, quòd testatrix semper de successore suo, singulari numero loquitur, & potissimè, agens de Eximineo nepote dicit, quod ipse, & quilibet alius successor in dicta hæreditate, ferre debeat nomẽ, & arma de Sllava, ex quibus, & prohibitione alienationis horum bonorum, & alijs ex processu

resul-

reſultantibus,dicendum eſt,ex vocatis à teſtatrice,ad hæc bona,non pluribus, ſed vni tantum , qui electus à Patre fuerit deferenda eſſe. Et attentò,quòd per mortem Eximenei Sagra vltimi poſſeſſoris,ac omnium fratruum ſuorũ, ſine filijs, ſolum ſuper fuerunt filij Mariæ Hieronymæ, quæ etiam dicto Eximeno fratri præmortua,electionem ſibi a teſtatrice cõceſſam excercere non potuit, conſequens eſt,ex iuris diſpoſitione , *Agneſiam filiam,quæ ſola ſuperfuit,tempore mortis dicti vltimi poſſeſſoris,iuris miniſterio,comſumpta electione , admiſſã fuiſſe , præſertim cùm,& ſi ipſa Maria Hieronyma , eius mater ſuperfuiſſet,in filios diſponere gravata filia,in medio exiſtente, in qua,diſpoſitio verificabatur, & effectum ſortiri poterat,nullomodo,ad nepotes eligendos facultatẽ extendere potuiſſet,quo ſit , vt Agnes dictæ Mariæ Hieronymæ filia admittenda ſit* , excluſſo Melchiore Cruillas,dictæ Agnetis nepote,ex fratre Michaële;neq;obſtat repræſentationis ius, quo dictus Melchior nititur,ad Michaëlis patris locũ,& gradum aſcendendũ,vt dicto modo,dictã Agneſiam amitam excludat, quoniã huiuſmodi repręſentatio,ſtãtibus ſupradictis,ac in occurrenti caſu,ad Agneſiã excludendã,ſecundũ veram iuris cenſurã procedere non poteſt. Quorum meritis,& aliàs,in ſequentes deliberationẽ,& concluſionẽ in dicto Sacro , Supremo, Regio Conſilio ſumptam nobiſque tranſmiſſam,pronuntiamus, & declaramus,prædictam teſtatricis hæreditatem, res, & bona, & conſequenter Oppidum de Carcer,pertinuiſſe,& ſpectaſſe,pertinére,& ſpectàre dictæ Agneſiæ de Sllava, ac per conſequens,Fabiano eius filio,dictæ Agneſiæ ceſsionario,eidéq; reſtituenda,& adiudicanda eſſe, vna cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt à die mortis dicti vltimi poſſeſſoris,& neutram partem in expenſis condemnamus.

Nuñez Reg.

Vt.Vives. *Vt.SenIuan.*
Vt.Pellicer.

Publicata fuit huiuſmodi Regia Sententia per Franciſcum Paulum Alreus Militem Regium Scribam mandati die ſeptimo menſis Ianuarij anni Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono. Inſtantibus, ac ſupplicantibus Petro Ioanne Calderer , Paulo Alfonſo , & Coſma Xulbi , ac præſente Michaële Ioanne Tarrega Notarijs nominibus,quibus in proceſſu reſpective. Valentiæ, &c.